



Gm. 15 =







GEORGII PETRI

Schulzen /

D. & Prof. Philos. Extr.

DISSERTATIO HISTORICA

DE

# CLARIS MAR- CHICIS.



FRANCOFURTI ad Viadrum.

# HENRICO RÜDGERO

LIB. BAR. ab Ilgen,  
Magni Regis consiliario magno,  
cetera.

S. P. D.

G. P. Schult.

**H**omines ad Deum nulla re proprius accedunt , quam salutem hominibus dando : & nihil est tam regium, tam liberale, tamque munificum, quam opem ferre supplicibus, excitare, adflictos , liberare eosdem periculis. Qvæ enim melior in genere hominum natura , quam eorum , qui se natos ad homines juvandos , tuendos , conservandos arbitrantur ? abiit ad deos Hercules , ex sententia Ciceronis : nunquam abiisset , nisi , cum inter homines esset , eam sibi viam munisset.

Illam



Illam ipsam qvoqve TV, Mæcenas Opt.  
Max. viam procedens omnibus maxi-  
mam movisti admirationem , tantisque  
haætenus beneficiis nos TIBI devinxisti  
atque meritis, ut firmiter simus per-  
svasi , tunc demum virtutes tuas obli-  
vione & reticentia posterorum sepul-  
tumiri , cum ruerem ad interitum , labi ,  
communi deflagrare incendio , nec  
diutius esse præsenti statu Patriam meam  
jusserit Deus. Qvae cum ita sint , igno-  
rces Vir divine , qvod ego clarorum viro-  
rum , in Marchia qui sunt nati , nectere  
pergens catalogum , TE venerari sub-  
misle , clementiam tuam , B. Patrem  
meum qua es complexus , publicis de-  
praedicare verbis , & ad tuum de omni-  
bus bene merendi studium , nec non pla-  
ne incomparabilem affectum erga litte-  
ras earumqve amatores confugere his  
supplex voluerim. Suscipe igitur salu-  
tis



tis nostrae in TE curam , variis qvae  
acta fatis auxilium implorat tuum , &  
effice clementer , ut omnes cognoscant  
posteri , feliciorem mihi non obti-  
gisse diem , qvam qvo , B. Patris legens  
vestigia , TIBI incolumitatem , fortu-  
nam , & vitam commisi meam reve-  
rens. Id quod qvidem majorem in mo-  
dum à TE peto , & simul Deo preces  
allego magnas , ut TE , Decus hujus  
regni , oblectamentum Augusti Re-  
gis , & Praesidium Musarum , una-  
cum Familia Tua Illustri , salvum , sospit-  
tem incolumemque esse velit quam-  
plurimos per annos. Vale. Kal. Sextil.  
M. **15CCIX.**





Rium de **MATTHÆO CUNO-**  
**NE**, eo plura memorabo cūm D.  
Franco, quo magis de universi-  
tate nostra est præclare meritus;  
quod Magnif. Becmanus in Me-  
morand. Francof. edit. prior. p.  
m. 51. his prodidit: *Insignis Viri*  
**MATTHÆI CUNONIS f. U.D.P.**

P. & Ordinarii singularem mentionem  
ut faciamus, efficiunt largissimæ donationes, quibus tum  
Bibliothecam nostram rarioribus libris, tum eandem pariter  
ac Facultatem Theologicam ampliè redditibus annuis auxit.  
Hæc ergo una cum ejusdem vita ex verbis D. Franci  
publice factis, & postea ab eodem D. Becmano in de-  
vit. Prof. nostr. f. 197. repetitis, cognoscamus, quæ  
multa de nostris Professoribus & quibusdam Popula-  
ribus nos docent, & sic se habent epitomata:

**MATTHÆUS CUNO**, Jctus, Sereniss. Ele&t.  
Brand. Consiliarius, Jurid. Facult. Ordinarius & Se-  
nior natus est Hic (Francofurti) Anno 1519 LI. A. D.  
XVII. Cal. Octobr. Pater ei homonymus ex negotiatoribus e-  
rat honoratissimis terræ. Hic vir cum devotus esset, con-  
stituit indolem filii sui rectioribus studiis & salubrioribus  
occupationibus consecrare: ad quæ etiam suopte eum impetu  
ferri animadverterat. Primus inter præceptores fuit re-  
verendus & Clarissimus Dn. M. Johannes Pelargus, Eccle-  
siæ Suidnicensis Pastor, mei Doctoris Christophori Pelargi,  
quondam Pater desideratissimus. Hunc in schola Grünber-  
gensii secuti sunt Viri doctrina & virtute Clarissimi, Abra-  
hamus Bucholcerus, autor indicis Chronologici, Johannes Ar-  
noldus & Petrus Titus: quos Parentum loco unâ cum patruo  
illius Ecclesiæ Pastore, cuius etiam convidu per triennium

usus est, enixè coluit, atque obsequiose veneratus est: donec  
 à Patre certis de causis domum revocaretur. Ubi licet Lu-  
 di moderatoris M. Henrici Hubschii institutione per ali-  
 quot menses uteretur: ardore tamen solidioris doctrinæ fla-  
 grans non prius acquievit, quam inter Magdeburgensis  
 Gymnasii alumnos cooptaretur. Ibi demum propiore ad glo-  
 riam grassatus est via, sub Viris experientissimis D. Sigfri-  
 do Sacco, M. Dionysio Trogendorfio & Laurentio Prætorio:  
 quorum lateri ultra annum integrum adhæsit. Accidit tum,  
 ut gravi pestilentia Magdeburgum & vicina loca infestaren-  
 tur: que è Complexu Præceptorum eum, quamvis invitum  
 avellebat. Cumque nec in patria satis à lue grassante tutus  
 esset: Coactus fuit violentia tanta cedere, & prout res fere-  
 bat, periculi vitandi causa ad alia atque alia loca excurre-  
 re: donec remittente scvitia in Gymnasium Göricense con-  
 cederet: ubi Petro Vincentio, Oratori celeberrimo, & Aca-  
 demiae Wittenbergensis quandam Professori clarissimo nec  
 non Laurentio Ludovico, Græcarum & latinarum literarum  
 scientissimis Viris operam sedulam navavit, bonasque alias  
 disciplinas avidè imbibit: quod anno supra sesqui millesimum  
 sexagesimo sexto factum est: unde biennio post, de sententia &  
 consilio Præceptorum, ad ubiores ingenii cultus consequendos  
 Argentinensem Academiam adiit. Eo ubi venit, non gra-  
 vatus est, Censoribus, qui pro more illius Academiae advo-  
 lantium studio forum ingenia tum temporis pericitabantur,  
 & idoneas cuique lectiones assignabant, se subjicere: quo-  
 rum etiam judicio in auditoria publica intromissus fuit.  
 Admirabatur autem præter alios D. Johannem Sturmum  
 Phænicem nostri seculi, & gloriam Orbis literarii: in cuius  
 interiorum amicitiam sese insinuavit adjutus commendatione  
 D. Abdia Prætorii, Theologi Francofurtensis; per quem a-

ditus

ditus sibi factus est ad consulendum de rebus obscuris magnum illum Oratorem & Philologum: qui & Platonis dialogos tunc interpretabatur, & oratorie artis præcepta exquisito dicendi genere, & divisis inter adolescentes exercitiis illustrabat. Hujus in dicendo gravitas, in docendo autoritas, in monendo libertas calcar addidit juveni ad præclarato: ut ad egregia quævis concupiscenda, studioseque contentanda animum serio applicaret. Erythræum quoque in oculis tulit, & Laurentium Tuppium: quo præeunte elementa jurisprudentiæ delibavit: ejusdemque dexteritate atque assiduitate ea sibi legum sanctorum impressa sensit vestigia: per quæ deinceps longum iter vastissimi studii tuto ac sine errore emetiri potuit. Subrepit autem, cursuque hunc intercepit corporis invaletudo ex nimietate meditationum & congenita sibi imbecillitate orta: cui cum præter diætam, cui adsuverat, idonea quererentur remedia: nusquam sibi melius consultum iri arbitrabatur: quam si parentum curæ sese reddidisset. Reversus itaque in patriam, simulatque melius habere cœpit, statim doctissimo Viro Dn. M. Erdmanno Copernico Institutionum Professori sese addixit, ita tamen, ut quas in intimos pectoris sui recessus jam admiserat disciplinas Philosophicas, eas impensè colere, & in dies singulos locupletioris doctrinæ accessione augere non desineret. Cumque in his perdius ac pernox esset, subiit animum cupido petendi lauream Magisterii fvasore & promotore Viro Clarissimo Dn. D. Henrico Paxmanno: quam etiam cum summo omnium applausu Anno M. D. LXXII. reportavit. Statim post impretratam lauream Philosophicam, vite litteratae totum sese addixit, disputationibus tum habendis, tum frequentandis sedulo vacavit, indultu quoque Amplissimæ Facultatis juridicæ privata Collegia studiosiss aperuit, & jura interpretari cœpit. Quam ad rem dux & autor ei fuit Nobilissimus

illissimus Juris Antecessor D. Ludolphus Schraderus: cui  
potissimum accepto retulit, quod lacunis omissis ad fontes  
limpidos legum & fori usum mature prudenterque sese appli-  
euisset. Serviebat huic ejus instituto, idque mirifice juva-  
bat Bibliotheca, quam parente sumptus liberaliter erogante  
comparabat amplissimam: ceterar addebat applausus nobili-  
um & doctorum juvenum: quos auditores habebat benevo-  
los atque attenios: quorum consiliis hodieque Regum &  
Principum quorundam aulae & Ress. aliae laudatissime fulci-  
untur ac gubernantur. Præterea quia de sententia Cassio-  
dori prudentiores semper habiti sunt, qui multorum hominum  
conversationibus probantur eruditii: & ex peregrinationibus,  
ut monet Franciscus Patritius, multa audimus, multa cerni-  
mus, quæ nulla disciplina, nulloque doctore unquam perdisce-  
possunt: ideo in Italiam cogitavit Macarites noster, fera-  
cem Proventu ingenerum & nutritiam virorum extra aleam  
ingenii positorum. Facto jam periculo itineris, quod impens-  
sis parentum liberalissimi ingrediebatur & confecturus erat,  
quamvis jam Germaniam superiorem & Helvetia partem ali-  
quam pertransisset, Basilea tamen subsistere coactus est: nam  
ulterius progrediendi cupiditatem corporis vires continua fa-  
tigatione fatiscentes non æquabant. In hac Academia An-  
no supra sesquimillesimum sexto ac septuagesimo Samuele Gry-  
naeo Agonotheta summos in Studio Jurisprudentiae honores  
consecutus est: postquam legibus & statutis, moderante o-  
mnia D. Bonifacio Amerbachio Icto Clarissimo, & ejusdem  
Academæ Cancellario abunde satisfecisset. Hac auctus or-  
natusque dignitate, quia non nobis solum natos nos esse, sed  
præcipuam nostri partem patriam vendicare & parentes at-  
que amicos sciebat, non renuit Syndicatus officium a Proce-  
ribus Academie hujus sibi An. MDLXXIX. oblatum acce-  
iptare. Qua occasione dexteritas ejus in rebus agendis con-  
spicua

spicua facta est. & probata universis non tantum Professoribus, sed & Consiliariis aulicis: quorum caput eo tempore erat Magnificus, Nobilissimus atque Excellentissimus Dn. Cancelarius Lampertus Distelmayerus, Academiae nostrae Evergeta immortali laude dignissimus. Is explorato Doctoris Cunonis ingenio id agebat, ut eum in aulam Serenissimi Electoris nostri lautis quibusdam pollicitationibus pertraheret. Sed se suo pede metiri noverat. & aulicam intemperiem horrebat, suaque sanitati metuens quieta studia invidioso splendori & incertæ gratiæ longe antehabenda judicabat. Adeo autem non offendebatur hac tam libera excusatione Cancelarius sapientissimus: ut aliis potius beneficiis eum sibi devinciendum statueret. Ipso namque proxeneta nuptiæ paulo post coierunt inter Dn. D. Cunonem & nobilem Virginem Annam Goldbecciam, filiam Viri virtute et meritis amplissimi, genere & opibus nobilissimi Dn. Henrici Goldbeccii in Röbel/ Warenburg & Bergen / J. U. D. & potentissimis duobus Electoribus Brandenburgicis Dn. Joachimo secundo, & Dn. Johanni Georgio à consiliis: cuius Pater erat Andreas Goldbeck in Röbel/ Avus Henricus Goldbeck in Lüden/ Ballerstädt: ut proavum, abavum, atavum, tritavum, aliosque longa serie adscendentes omittamus: quibus rerum in pace feliciter gestarum gloria, & in bellis spectata virtus insignia equestria, una cum redditibus & prædiis amplissimis pepererunt. Hoc conjugium Dei provisum initum, & a tam nobili proxeneta conciliatum summa Parentum D. Cunonis exceptit latititia, amicorum applausus commendavit, pietas roboravit, consensus amoris locupletavit, omnis denique voluptas edulcavit. Sex præterea & triginta integros duravit annos, re familiari in dies augecente, crescentibus affinitibus, amicis pluribus se certatum aggregantibus, & splendentibus honoribus: qui in hoc par Conjugum, omni ex par-

te (si solam excipias improlitatem) beatissimum confluebante.  
 Mox enim ut ex hac Academia discessit Vir Consultissimus  
 Dn. D. Ludolphus Schraderus, Professoria dignitas D. Cu-  
 noni decreta, & Illustrissimi Electoris Johannis Georgii, au-  
 gusta memoriae, rescripto confirmata fuit anno supra sesqui-  
 millesimum octogesimo secundo: ex quo tempore primò Profes-  
 sor Pandectarum fuit annos duodecim; deinde Codicis annos  
 septem; denique Juris Canonici annos tres & viginti: qui  
 Ordinariatum quoque ejus complectuntur: quam tanta etat-  
 is in tanta dignitate periodum haud facile quisquam ex  
 successoribus sibi polliceri habet. Explevit nimirum Octo  
 enneades, & secundum ac septuagesimum etatis annum supe-  
 ravit mensibus septem: quia spiritum suum factori spiritu-  
 um reddidit, die hujus mensis XVII. post horam secundam  
 pomeridianam. Mores & merita doctoris Cunonis in pro-  
 patulo sunt: nec tam commendatione apud aequos rerum ju-  
 dices & veritatis amatores, quam defensione contra emulos  
 & iniquos censores opus habent. Rationes vitae sue ita in-  
 stituit a primis annis: ut neque luxus stupidum eum faceret,  
 neque parsimonia vacordem, neque alea egenum, neque lu-  
 tri spes cupidum, neque felicitas elatum, neque divitiae in-  
 solentem, neque improborum odia desperatum. Professionem  
 ejus quod attinet, nisi obstitisset affecta valetudo, & negoti-  
 orum intercurrentium multitudo operas lectionum publicas  
 sape abrupisset, in habendis iis & continuandis magis fre-  
 quens fuisset atque assiduus. Potiores tamen Jurispruden-  
 tia partes ita enubilavit: ut specimine de pactis dato  
 (qui liber a doctis teritur) magna dignitatis & subacti ju-  
 dicii viros in sui admirationem traduxerit: qui non desi-  
 erunt ad edenda, que domi presit, commentaria reliqua  
 eum solicitare, de Legibus nempe, de Constitutionibus,  
 Statutis, Privilegiis, Causis possessionum & proprie-  
 tatum,

tatum, Servitutibus, Præscriptionibus, Transactionibus, Renunciationibus, Feudis, Jurisdictione, exceptionibus & re judicata: quæ *juris capita publice edisseruit*, & nervose elucidavit. Sed negotia Principum, & consilia ac patrocinia in causis Nobilium, Baronum, Comitum & Rerump. gravissimis ab eo expetita ipsum sibi eriperunt. Magnas quoque curas & sumptus impendit Operi decisionum & Conclusionum Juris in certos Locos redigendo: quod etiam pene ad umbilicum duxit. Verum quia hæres ad curam multorum pertinet, & patronis eget: qui non minore labore molem indigestam exasciare, quam prompta liberalitate calcographorum nostrantium aviditatem explere sustineant, de fortuna tanti Operis certi nihil pronunciare possumus. Studium ei Religionis, & cura sacrorum præcipua fuit: cuius ardore ita semper æstuavit: ut post Codicem Scripturæ, quem adsidue lexit, Sanctorum Patrum quoque monumenta evolveret. Cujus rei testimonium habet Bibliotheca ejus amplissima: quam Classicorum augent ornantque Theologorum tam veterum quam recentium volumina: in quibus quæ insigniores occurrunt sententiæ propriae ejus manu enotatae, vel lineola aliquâ inductæ, vel observationibus quibusdam margini appositis illustratae conspicuntur: ut mirum sit, inter tot occupationes, quibus nunquam non distinebatur, cognoscenda religioni antiquorum patrum tam impense ipsum vacare potuisse: Sed hoc studium amor numinis & salutis propriæ cura, qua nihil antiquius habebat, ipse expressit: quod etiam in omni ejus vita eluxit. Quant enim Theologiam ejusque cultores fecerit memorabili admodum & raræ munificentiae exemplo ante sesquiannum declaravit, facta inter vivos, ut vocant, donatione duorum milium: si ad præsentarium argentum, quod partim publicis Academiæ adificiis reparandis, partim stipendiis Professorum Theolo-

Theologie augendis destinavit, ea etiam referas & in pretium computes volumina, quorum accessione Bibliothecam publicam locupletavit, Fatali vita termino d. 17. Ap. An. c15 150 xxiiii. appetente leni marasmo non tam defecit quam ad vitam meliorem profecit. &c. Hæc FRANCUS noster.

BENEDICTI WINCKLERI, meminit Kiloniensium ornamentum, Georg. Paschius in Inventis Nov. Antiquis p. m. 276. sqq. Quo & Benedicti Winckleri, Soltquellensis Marchici. de Principiis Juris libri quinque erudit & elegantes referendi. Tob. Magirus in Eponymolog. Crit. ex edit. Eybenii, p. 805. hoc Ernstii de nostro latum Judicium collegit: Benedictus Winckler. vir Magni Judicij magnaque eruditionis, scriptis de principiis Juris, qui liber in paucorum manibus est. Ernſt. Aut. Jurisprud. c. 2. n. 61. Gottlieb Alert in Disputat. Lips. hab. 1701. h.t. Fundamenti legis naturalis brevis evolution, §. 28. sic scribit: *Omnem Justitiam referendam ad voluntatem Dei esse; ac ipsam legem naturæ hamana ex ratione innotescentem audiendam voluntatem, qua à nobis cognosci posuit. mens est Benedicti Winckleri in principiis Juris. c. 3. 4. & 8. excerptis à Dn. D. Beyero in Notit: Aut. Jurid. p. 69. f.*

HIEREMIAS SETZERUS, nativitate licet non adornarit Marchiam, meritis tamen excellenter adjuvit, quippe cuius Epithaphium & vita apud D. Beccanum in vit Profess. f. 200. legi merentur, & scripta nulli sunt ignota docto. Revoco autem hoc loco ejus memoriam ex eo potissimum, quod, duas sua manu ad nostrum Christophorum Pelargum scriptas litteras in scriniis invenerim latitantes meis, luce vel ob nomen auctoris dignissimas; quas ne pereant ems&t. communico. sunt hæc:

Sal. &

Sal. & felicitatem.

Dolebam jam dudum Reverende & cl. vir, fautor cariss. quod nihil abs te literarum accepissim: jam languentem excitas & mirifice recreas una epistola tua, brevi illa, sed valde amica, & eximiis humanitatis tuae testimonias ex omni parte referta: queso te mihi opt. in posterum sapius nos aspiret ista benevolentia tua avara! non enim aliter dolori nostro mederi potes, est enim dolor, qui ex amata rei cupiditate proficiuntur: quare te hoc modo nobis presentem & nobiscum colloquentem quasi in conspectum nostrum & amplexum sapius exhibeat. Nam quod a me peccatum sit, quod toties a te literas efflagito, id indulgendum erit cupiditati meae, qua si importuna est & avara vel intempestiva postulatio, certe probabilis efficitur, quod testimonio apud te esse potest, quam vere & impense te jam diu diligam. Quod tamen dicendum mihi est hoc loco parcus, tanquam id, quod apud te non potest esse magnopere dubium, & quod non tam verbis declarandum est, quam facto ipso, siquidem sit locus & occasio: quod fieret a me certe, si quid esse posset in facultate nostra: sed nosti id non esse virium nostrarum isto tempore, quo prater animum rectum tamen & erectum nihil magnopere posidemus. Nam quod προσφάνησιν nostram ad te tam praelare accipis, facis id quod boni viri solent, qui pro parvo officio magnas tamen solent reponere gratias. In qua re jam aram debemus pietati tuae, quod amicitiam nostram recte estimas ex affectione & ex animo nostro, non ut vulgus amicorum, qui plerumque amicitiam iisdem finibus concludunt, quibus utilitatis aliqua aut commoditatis spes terminatur. Auges humanitatem istam, quod pro una charta eruditum & diu a me expetitum libellum ad me mittis, quo in primis munere vehementer me tibi iterum devinxisti. Dudum enim optavi, ut quid certi liceret mihi de his rebus ex te cognoscere, quod cum factum a te jam sit & docte & feliciter, magnas tibi ago habeoque gratias, neque dubito, quin plures alii, in quorum manus hac per reverentia, suo quisque loco ostensurus sit, te egregiam & necessariam pii animis suscepisse & persecuisse operam. Legi antea, qua de similib. causis scripta sunt apud Bodin. Wier. Lavater. Arles. Camer. & alios nonnullos, sed plerumque ista tam varie explicata aut implicata esse inveni, ut saepe

numero dubitaverim, anne possent ad presentem causam satis apposite accommodari. Nunc cum tua legi, fateor ingenu, magnum mihi scrupulum-exemptum esse & densam dubitationum nebulam discussam. Itaque describi jussi libellum istum, statim postquam pervenit ad manus meas, atque descriptum reservo, quod ut jubes, excell. D. Mylio ostendi, qui & excusationem tuam, quod non scribis, libenter accipit, & scriptum istud quamprimum leget, de quo quid sentiat, cognosces ex literis epissis, quas pollicetur proxima quaque occasione. Interim tibi plurimam salutem & officiosam per me nunciat. Ego vero meo nomine tibi maximas ago gratias, quod me tam gratissimo munere beare volueris, & hoc utilissimo scripto augere bibliothecam meam, idque unice abs te peto, ut si quid abs te vel in hoc vel in alio genere fuerit editum, id aliquando me moneri finas tantum ut occasio mihi sit de his rebus inquirendi. Mire enim me delectant hujuscemodi & libenter passor hac ambrosia. Scriptis de eadem re ad me paucos ante dies D. Rademan e' vestris: sed paucis & brevi epistola. Itaque dubitandi materia nondum mihi erat penitus evulsa. Novarum rerum quod ad te scribam, nihil jam occurrit. Academia nostra mirum uti crescit! autem est Collegio disputationum Theologicarum publico, cui D. Mollerius magna cum dignitate praest, & Professor lingua Gallica & Italicae: is propediem lectionum suarum faciet initium. Magnifico Dn. D. Reusnero si scriperis facies mihi rem pergratam, atque experiere virum non minus eximia humanitate, quam excellenti doctrina & virtute praestantissimum. Exemplum tui scripti, uti vis remitto, teque oro, ut me, sicut facis, ames, denique, ut valetudinem tuam diligenter cures, teque nobis quam diutissime incolumen conserves, in qua re ut tibi praesto sit is, qui est vita & longitudo dierum nostrorum devote & ex animo precor. Bene vale & cum tuis omnibus a me & meis salve. Ex florantisima Salana V. Id. Julii Annij 95.

T. Excell. & praef.

Observe.

HIEREMIAS SETZERUS.

*Sal. officiosam adscribo cl. Dn. D.  
Wencelio & D. Gerszmanno.*

Inscriptio:

Inscriptio: Reverenda dignitate, eruditione excellenti & virtute singulari præstantissimo Viro, Dn. Christophoro Pelargo, S. Theologie D. & Professori celeberrimo, in illustri Academia Francofordiana, Dn. Praeceptor, fautori & affini meo obs. & unice carissimo.

## Salutem.

**N**ihil erat hoc tempore, quod præcipue scriberem ad te vir Rev. & clariss. fautor & affinis cariss. nisi iterum inani epistola velim abutiri quasi humanitate tua. Sed tamen amicitia nostra silere me & quiescere amplius non finit, penitusque mibi ita persvasi, honestius posse veniam impetrari apud te nugacitatis mea, quam omissionis atque negligentiae, qua ab amicitia maxime aliena est, & bonorum viorum iustam incurrire reprehensionem solet. Mitto autem & submitto tibi Commentatiunculam meam de Fide Politica, diebus hisce, quibus alias à severiorib. studiis & laboribus docendi vacatio quadam esse solet, breviter à me comprehensam aut potius delineatam: eam si vacat, uti legas & pro tua insigni dexteritate examines & pro amore tuo me monneas, corrigas, doceas, majorem in modum oro & contendeo. Ad has & similes ἡθηπολιτικὰ διασκέψεις cum jure civ. conjungendas, & nostri me excitant & speciatim D. civis noster singulari epistola numerper ad me data prolixè & fideliter me adhortatus est, quibus libenter & plane assentior. Ita enim mihi persvasi, itaque sentio, quam plurimum momenti rationem istam obtinere, & ad civilem prudentiam comparandam & ad vitam feliciter instituendam, & ad eruditionem augendam, & ad formandum judicium, & ad omnem partem jurisprudentia nostræ illustrandam, atque suis è fontibus quasi eruendam. Sed ista ha-  
ctenus & quasi præter rem. De iis qui hoc tempore in quibusdam locis Marchie à malignis spiritibus posideri dicuntur, ab iisque varie exagitari, variis apud nos sermones increbuerunt, qui si vani non sunt, mirari certe nos oportet & obstupecere vim diaboli, quanquam veterum & recentiorum historiarum lectio consimilia exempla suppeditat. Tu pro tuo singulari & exquisito judicio, si per occasionem de his rebus sententiam tuam mihi uno atque altero verbo communicaveris, facies mihi rem omnium gratissimam. Ejusdem rei cogitationem sumpturum se D. My-

*Lius pollicetur: sed factum nobis nondum satis constat, de quo dissimiles sunt narrantium voces, & inter se atque a se ipsis dissentientes: qua de re audi ipsum ad te verba facientem: Salutem adscribo tuis omnib. nominatim etiam D. Gerszman & D. Wencelio: Salve & tu à meis, vir clariss. & bene vale. Ex florentissima Salana ipsis Calend. Januar. anni 95. qui ut felicissime tibi currat & decurrat, ex animo precor.*

*Rev. Tuæ Excell.*

*Studioſiff.  
HIEREMIAS SETZERUS.*

*Inscriptio: Reverenda dignitate, eruditione excellenti, omniumque virtutum laude praelarissimo, Viro Dn. Christophoro Pelargo, S. Theologiae D. & Profess. celeberrimo in illustri Academia Francofordiana, fautori, amico & affini meo carissimo & pl. observando.*

*M*agnum opus suscepereat NICOLAUS LEUTHINGERUS (relatio & Judicium est Polyhistoris Jenensis clarissimi & ad cujus paternam famam animi doctrina eleganter accedit, BURCARDI GOTTHELFII STRUVII, in Selecta Bibliotheca Historica p. 538.) qui XLV. libris Commentariorum Marchiam Brandenburgensem ejusque Principes & rerum statum describere ad gressus est. Hujus varii hinc inde tomis reperiuntur in bibliothecis, diversis in locis editi, aliqui sine loco & anno; vix tamen credendum, omnes istum libros absolvisse. Primus tomus quem possedeo, sine loco & anno impressionis præmissam habet in tabula delineationem rerum ordintisque in Commentariis hisce, sed haec satis de confuso auctoris ingenio testatur. ut dicam quod res est, multa notitia de urbibus & nobilium familiis in Marchia hauritur ex Leuhingerio, sed melancholia labrabat auctor, quod ex epistola Luse Martini, Superintenden-

tis

ties Brunsuicensis, primæ parti præmissa adparet, qui ita la-  
quitur: Infensisimus veritatis & publici commodi  
hostis melancolico vertigine te circumrotare, tuas-  
que cogitationes & discursum historicum suis tri-  
stiaæ tenebris involvere conatur. Ex quo facile videmus,  
unde oriatur confusa scribendi ratio, mordacitas & malevo-  
lentia, atque perpetua calamitatum memoria. Raritas autem  
scripti ex eo oriri videtur, quod plerique tomî auctoris im-  
penis editi, quisit, ut propter invidiam bibliopolarum non ita  
fuerint dispersi. Non diversum ab Hoc Judicat JOH.  
PETR. GIOVANNI seu vero nomine, LUDWIG, Con-  
filiarius regius, & Professor apud Halenses notitia re-  
rum gestarum & copia doctrinæ uberrimus, in libro  
cui præfixus titulus: Germania Princeps, lib. II. cap.  
VI. p. 146. his: Nicol. Leuthingeri, Poëta & hist. Brandeb.  
Commentar. LXI. libri de Marchia Br. 1592. 1601. 1605. &c.  
Wittenbergæ, Osterburgi, alibi edit. 8. Ego omnia au-  
toris volumina simul non vidi, quæ etiam in principum  
bibliothecis frustra quæsivi. Ceterum de auctore ita  
judico: (1) quod eleganter scribat, (2) satis animi  
habeat pro veritate (3) industriam quoque & (4) exquisitam  
doctrinam probet, (5) deinde usui rerum (6) familiaritatè  
cum primariis aulae administris (7) peregrinationi etiam fre-  
quenti multum debeat. Vitiis tamen pariter notandus est  
(1) quod malevolus sit, (2) bilosus ac mordax, qui omnes au-  
daciissime reprehendat, nutritore suo inde non excepto (3)  
nullo fere ordine incedat, (4) commisceat domesticis multa  
aliena. (5) calamitatum suarum perpetuus ac molestus præ-  
co. Non ergo causæ sunt, ut opuscula hæc, quod sibi nuper ali-  
quis proposuerat, recuderentur. B. & laudatussimus M. F.  
à SEIDEL in Iconibus &c. imagini Leuthingeri ad-  
didit sequentia: Nicolaus Leuthingerus, Palæo-Landsber-

gensis Marchicus, Theologus, Poeta & Historicus venustus  
 ac elegans, patriæ suæ encomiastes indefessus. Natus est Ao.  
 1547. Floruit adhuc Ao. 1612. Plur. reverendus J. W.  
**RENTSCHIUS** in Brandenburgischen Ceder-Hein p.  
 254. hoc fert judicium: Nicolaus Leuthinger, Churz-  
 fürstlicher Historicus und Pfarr-Herr zu Landesberg/  
 hat mit sonderbarer Geschicklichkeit und prudenti Com-  
 mentarios geschrieben de Marchia Brandenburgensi ejusq;  
 statu. Welche wohl werth seyn/ daß sie wieder unter die  
 Presse geleget/ und die schöne Arbeit denen Nachkomm-  
 men nicht vorenthalten werde/ welches der Autor Anna-  
 lium Brandenburg. versprochen / und doch von diesen  
 Werck urtheilet/ daß es in etlichen Stücken partialisch/  
 und mit vielen Fehlern aufgefertiget worden / indem  
 besagter Leuthinger nicht genugsame Gelegenheit den  
 Grund zu erforschen haben können. Audiamus ipsum  
 Leuthingerum in Dedicatione Commentar. Part. VI.  
 Libr. III. ad Senatum Bernovianum narrantem de se  
 hæc: Patrem natum φιλόσοφον, liberaliter educatus, bona-  
 rum artium & pietatis studiis totus traditus fui, ut meo loco  
 reipub. aliquando Christianæ recte prodeßsem. Id cum sine  
 præceptoribus fieri non posset, præclaros & illos divina mibi  
 clementia concesſit, Martinum puto Geritium, Nicolaum  
 Mænonem, Andream Cælichium, Georgium Fabricium, & ali-  
 os, quorum opera me profecisse, meamq; ipsis qualemcunque  
 eruditionem acceptam referre ingenue fateor. Anno ætatis  
 quarto decimo, commendatus sum ab illustri principe, Domi-  
 no Johanne Georgio, Marchione Brandenb. &c. potentiss. prin-  
 cipi, Domino Augusto Duci Saxonie Electori, ut ipsius gra-  
 tia in ludum illumstem, qui est Misericordia hermundurorum, reci-  
 perer. Et si autem novum erat & inauditum peregrinum,  
 in primis ejus conditionis qualis ego sum, in eum ordinem illi-

us loci cooptari, attamen benignitate divina affulgente, miram Saxonis indulgentiam prater multorum opinionem cognovi. Ascriptus igitur ex mandato alumnorum illius scholæ numero, cum rigida admodum esset illius theatri disciplina & ἐν τῷ αὐτητῷ Anachoreta fierem, semper exinde taciturnior atque subtristior fui, naturam ipsam consoletudine multum juvante. erant ex civitatib. Minimæ adolescentes in hoc conveni tu provectionis ætatis atque doctrinæ quos æquo pede assequi annitens anno 17. ætatis primum locum inter discentes cum aliqua laude obtinui tutatusque sum, & præfectus aliis gubernandis atque docendis. Hic mibi occasio oblata est historicos Gracos, atque latinos cognoscendi, quorum cum aliquem gustum perceperisset, illico tanta me cepit hujus studii cupiditas, ut quod reliqui in ludo & aliis corporis exercitiis collarent temporis, ego huc omne verterem, nec raro eam ob causam nervos nimium intendens morbis obnoxius fierem. Missus deinde ad Academiam Wittenbergensem, utpote in qua studia Philosophiæ semper majore diligentia & facilitate tractantur, quam in ulla alia. Francofurtum anno ætatis 19. traductus, eo ipso, post Christum natum 1573. de voluntate Universitatis invitus Philosophiæ Magister publice renunciatus sum decano Matthæo Hosto, viro nunquam satis ob excellenter doctrinam laudato. perveni simul in familiaritatem clariss. viri Johannis Schöfferi, oratoris elegantiss. atque Poëtæ coronati, cuius opera, adjuvante me plurimum in omnibus excellentiss. viro Doctore Christofero Albino, incepi Barones nobiles, & alios ingenuos adolescentes erudire & instituere. Tunc primum auctore Matthæo Hosto Herodotum scrutatus sum profundius, quem Wittebergæ etiam nobis prælegebat Henricus Müller Hamburg. Alebat eodem tempore pater & fratrem meum Balthasarum in eadem Academia magnis sumptib. quibus cum par tandem futurus non videretur, ego

ad

ad Scholam Crosnensem gubernandam amandatus sum. Felicia huc usque decurrerunt mibi tempora, tempora mihi in hac vita nunquam reditura. Exinde cura & Solicitudo infesta est. Sesquiannum huic palestræ præfui Consiliis reverendi viri Ulrici Meisneri superintendentis, patrocinio vero Melchioris Sehleri Cos. Viri ampliss. usus, cum autem tempus illud omne, quod à laboribus Scholasticis vacabat, in historiarum lectione impenderem, cuius copiam mihi faciebat locupletem bibliotheca ejus ecclesiæ, Olaum Magnum Suecum & Saxonem Grammaticum, danum, tanquam cœlo de lapsos mihiique nuncupatos venerabar unice. Tædebat Schola, incredibili cupiditate incensus hæc & alia regna videndi. Itaque reclamante Senatu ac tribunis plebis, Crosnæ valedixi. Sed quia vitabam charibdim, incidebam in Scyllam, cum mihi contra voluntatem patris opt. meriti quidquam statuere turpe esset, frustra reclamans ad gubernationem Scholæ Spandoviensis retractus sum. Sesquiannum & hic militavi, ita ut facile appareret, corpore me quidem præsentem, sed animo absentem, sæpeque deploravi fortunam meam, quod annos florentioris etatis non liceret in gloriam majore cum fænore assurgentem collocare, quod vires in pulvere obscuro frangerem, quæ in theatro claro laudem meriri possent. Stationem igitur relinquens, Wittebergam me denuo recepi, & paulo post Germaniam superiorem, partem Italiae & insubriam perlustravi. Reversus feliciter ibidem quinque Carminum libros edidi. In his pertexui breviter res gestas principum Elector. Brandenburgensem ex familia Burggraviorum Norimberg. Spemque feci copiosioris frugis. Ad Oceanum fretumque tentandum tandem animi tantum subibat, quantum in viro esse potest, & cum jam in procinctu forem, amitto patrem, patrem, proh dolor, ut Cariss. inter mortales omnes, ita morte immatura mihi erexit, & simul omnis

omnis spes mea cecidit. Cenior præterea in alias difficultates, ex quibus vix unquam ulla me eripiendi facultas relicta est. luxi defunctum desideranter, tumulavi honeste, publice laudavi editis de vita ipsius monumentis, idque pietatis ac gratitudinis ergo. sicut autem nulla Calamitas est sola, objicit me eodem tempore aula certamini periculoso, bono quidem Consilio, sed multo meo negotio, præfecitque reb. quib. cum neque delectarer, neque animi satis esset, unica cura erat redire ad matrem Academiarum Wittebergam. Hic mihi data est denuo facultas perlustrandi Germaniam universam, partem Italæ, Galliæ, Angliæ atque Norvegiæ, Daniam, Sueciam, Borussiam, Livoniæ, Poloniæ & alia, non sicut vulgus hominum vagatur, sed ut multum proficerem. Laurea etiam donatus a FRIDERICO III. Rege Daniæ Fridericiburgi. Incepi hic aliquo modo reviviscre, vitæque hujus dulcem finem degustare, quodque aliis summa molestia videbatur, id mihi non tam ingratum quam volupte erat. In hac peregrinatione veni in Notitiam præstantium virorum nec mibi defuerunt vocaciones honestæ atque copiose. Et cum in Colloquiis marchiæ nomen intelligerem esse obscurius, sepeque Marchicos pro Marchitis censeri, cepi mihi ipsi indignari, qui aliena curiosus scrutarer, & patriam ipse nescirem. Exinde in hanc unicam curam digressus, quomodo patriæ res gestas mihi & aliis notiores redderem. Et quia magna annualium esset inopia, major hominum iniqüitas, maxima temporum difficultas, diligentius Marchiam, Pomeraniæ, Borussiam, Silesiam, Franconiam, & alia quæ ad Imperium Marchionum Brandenburgensem spectant, intuens simul primitias in publicum emisi, quas cum bonis probari intelligerem, urgere negotium non cessavi.

C

De

De *ANDREA ANGELO* in Dissert. II. p. 30. quædam adtuli, hic, cum non ita diu ex bibliotheca Excellenti eruditione & nobili genere conspicui, Beati A. E. de *SEIDEL* Annales Angeli evolverim & quædam, ut mihi, ita forte & aliis multis inaudita nec lecta, in principio libri scripta legerim, cum L. B. communico eadem: Weilen dieser *Angelus* gar offte Marchiam autoris allegiret / so dienet zuwissen / daß diese noch ein viel perfecter Opus, als gegenwärtige *Annales* gewesen. Es hat ihm dem *Angelo* aber ein alter typographus Johann Hartmann 300. fl. pro studio & labore geben sollen / wann *Angelus* es ihm zu drücken überlassen sollte. Da ihm aber der Buchdrucker mehr nicht als 250. fl. geböthen / ist nichts daraus geworden. Nach seinem Tode hat man der Wittiben erstlich 200. zuletzt aber nur 150. fl. offeriret / worüber sie zornig geworden / daß sie Anno 1601. das Buch zu Straußberg ins Feuer geworffen / aber nicht lange darnach gelebet. *Hæc consul quidam nomine Musculus, vir septuagenarius Dno Martino Friderico de Seidel Consiliario ut testis oculatus retulit.*

Joh. Andr. Qvenstedt in de Patriis illustrium virorum p. 195. *MARTINUM CRUSIUM*, illum cum paucis comparandum Professorem Tubingensem, in Marchia esse natum adserens: *Botesteinum, inquit, Potstain ad Havelam in Marchia media. In hac urbe natus est Martinus Crusius, Græcæ lingvæ & Oratoria in Academia Tubingensi Professor celebris & Annalium Svevicorum scriptor. edidit & plura alia, quæ recenset Gesner. in Bibl. Verum, quod salva B. Theologi auctoritate dixerim, paret CRUSIUM (s. paterno nomine Krauß/ ut Pater in nostri Crusii Annalib. Svevic. f. 669. se ipsum*

ipsum nominat, vel Krausum ut f. 666. Crusius l. c.  
 patruium suum vocat:) non natum esse in Marchia  
 media oppido, cui nomen Potstamb, & quod insi-  
 gnis Historicus noster CHRISTOPH. HENDREICH  
 in derer / die March zu Brandenburg betreffende Sa-  
 chen/Ersten Entwurff. Part. I. cap. IV. ita describit:  
 Potstamb / Potstain/ auch Pozstein / zu Latein Po-  
 stantium, Postenium, ein Städtlein / welches / weil es  
 die Havel / Notte und andere kleine Ströme dieses  
 Orts / zu einem Werder machen / wird mit denen da-  
 rein beschlossenen Dörffern / der Potstambische Wer-  
 der genant. Finde von dieser Stadt / daß sie im Jahr  
 1106. mit den Berlinern / wegen des Fischfangs in  
 der Havel sich verglichen habe. Anno 1416. als Bi-  
 chart von Rochau / welcher wegen Ubelthaten aus  
 dem Lande gebannet war / von Churfürst Friedrichen  
 zu Gnaden angenommen / hat er ihm dieses Städtlein  
 verehret. Wegen der guten Situation hat es Churfürst  
 Joachim der I. Anno 1428. bevestigen wollen. Allhie  
 hat die Schwedische Armee Anno 1631. den 7. Maij ein  
 Lager geschlossen. Im Jahr 1641. im Monat Aug.  
 ist ein Wolff in die Stadt gekommen / und hat allhie  
 großen Schaden geihen. Die schöne und angeneh-  
 me Gegend / auch guter Weinwachß / hat ißt regieren-  
 de Churf. Durchl. (Friderich Wilhelm) allhie / ein  
 schönes / nach der neuen Art zugerichtetes / und wol  
 meublirtes Schloß / Fasan - und unterschiedliche Lust-  
 gärten / Weinberge / Thiergarten / Glasfhütten / und  
 andere zur Ergötzlichkeit und Nutzen dienende Gebäu-  
 de zu erbauen bewogen: Sed lucem accepisse Bot-  
 tenstainii; de qua urbe Martinus Zeilerus in der  
 Reichs: Geographia, p. m. 695. habet: Botenstein /  
 Boden:

Bodenstein / eine Stadt / Schloß und Pfleg / oder  
Ampf / am Wasser Putlach / zwischen vielen Bergen/  
hohen Felsen / und Steinklippen gelegen und dem Bi-  
stum Bamberg gehörig. Conf. Crusium ipsum in  
Annal. Svecic. f. 703. 669. 666. 630 &c. præterea  
Melch. Adamum in Vit. Philos. p. m. 483 confirmantem.

Ab his propero ad VALENTEM ACIDALI-  
UM : G. M. Königius enim in Biblioth. Vet. &  
Nov. f. 6. hæc adnotavit : Acidalius (*valens*) Wit-  
stochiensis, 28. etatis anno . A. 1595. juxta Thuanium L.  
113. obiit. Plautinas Divinationes conscripsit. item Notas in  
Cornel. Tacitum. Carmina ejus leguntur T. I. Delit. Germ.  
p. 1. s. Quidam autem factum asseverant. Casp. Barthius  
in ejus poemata sua manu annotavit : Valens hic Acidalius,  
Marchicus Witstochiensis, juventute per plurimas Acade-  
mias Germaniae, Italiæ, & aliarum nationum in omnibus  
amoribus transacta. Vratislaviam cum Dan. Rindfleisch,  
quem Bucretium vocat, venit, ibi cum diutile frustra promo-  
tionem aliquam expectasset, tandem ad Pontificiorum castra  
transit, Redorque Schola Neussane factus, cum vix XVI.  
septimanas ei muneri præfuisset, inter concelebrandum pro-  
cessum cum sancta hostia subito furore correptus, domumque  
relatus in lecto suo exspiravit : nonnullis affirmantibus sua  
manu necem ab eo sibi procuratam. Deus O. M. ita nos det  
studia elegantiarum colere, ne cœlorum regno excidamus, cui  
ista omnia adiiciuntur. &c. Hæc ille. Idem Barthius in  
Claudianum citat Val. Acidalii non injucundam Diatriben  
de Constitutione Carminis Elegiaci. J. A. Thuani in Hi-  
stor. L. 103. alleg p. m. 175. hæc sunt verba: Tristior  
quo acerbior mors fuit Valentis Acidalii, Wistochii in li-  
mite Brandenburgico nati, adolescentis summæ Ævi & erudi-  
tionis, qui post italicam peregrinationem cum Vratislaviam  
rediis-

rediisset, inde Nyssam evocatus, morbo familiari, quem ex  
nimis vigiliis in adornandis Plautinis Divinationibus con-  
traxerat, correptus tertio post die Kal. Jun. decessit, cum vix  
annum XXVIII. excessit. Abrāh. Bucholzerus in Indi-  
ce Chronolog. p. m. 733. alium diem & annum morti-  
ferum statuit scribens: *Valentinus Acidalius, Medicus*  
& *Poeta*, obiit A. 1598: 25. Maj. etat. 28. Ol. Borrichius  
in de Poetis p. 124. qualis fuerit Poeta docet his: *Lon-*  
*gior Poetarum seges in Germania; ubi ordinis literarum*  
*ratio nos invitat, ut primum attingamus Valentem Acidali-*  
*um, cuius Epica, Odæ, Epigrammata in medio sunt, tolera-*  
*bilia illa quidem, sed in quibus tamen numerum aliquando,*  
*sæpe nervos requiras.* De Prænomine notanda sunt,  
quæ Exc. Thomas Crenius in Part. XI. Animadv.  
Hist. & Philol. p. 147. habet: *ita emendat Valens, (non*  
*Vincentius, ut in titulo Velleii Lugduni anno M. D. XCIV.*  
*in 8. & Franc. le Preux editi vocatur, nec Valentinus, ut in*  
*titulo notarum p. 171. ejusdem editionis, & p. 2. & 108. Vel-*  
*leii Parisiis evulgati anno MDCCVIII. in fol. 10. nominatur.)*  
*Acidalius in p. m. 180. s. Vellejanar. Lectionum dictæ edit.*  
*in 8. vel p. m. 110. b. edit. Paris.* Ex quibus didici,  
quod noster Acidalius etiam in Velleium commenta-  
tus sit, cum alias hos tantum in Bibliotheca nostra  
Publica viderim libros: *Animadversiones in Q. Curtium*  
*Francof. ad Moen. 1594. 8. Epistolas. Hanov. 1606. 8. in*  
*Plautum Divinationes T. VI. Thes. Crit. Gruteri f. 1.*

JOANNES PRÆTORIUS Joachimico-Vallensis,  
inqvit Cl. Königius in Bibl. V. & N. f. 662. natus est An.  
1537. obiit An. 1616 Altdorfi mathemata interpretatus est.  
Instrumenta ipsius mathematica Norimbergæ in publicam  
bibliotecam translatas sunt: manuscripta Altdorfi servantur.  
Meminit, ejus Thuanus L. 69. sub fin. His vero me-

minit Thuanus l. c. de Dudithio agens: præcipue in Mathematicis ingenium exercuit. (Dudithius) & arctam cum Joanne Prætorio, Joachimico, harum scientiarum clarissimo in Altdorffiana Norimbergensis Reip. Academia Professore, quem inter domesticos aliquando studiorum comitem haberet, amicitiam renovavit, ac per literas tota reliqua vita coluit. EXC. MAGNUS DAN. OMEISIUS, in Gloria Acaemia Altdorffina p. m. 109. s. pluribus hujus Prætorii celebrat memoriam, iisque seqventibus: Nemo virorum præclarissimorum, reique litterariæ antistitutum, ita prorsus est ignarus, ut ne M. Joh. Prætorium, Joachimico Vallensem, vel ex auditu solum noverit. Natus est is A. 1537: Ad nostram accessit Academiam anno seculi ejusdem septuagesimo sexto, mense Decembri, in qua summa fide ac diligentia munus suum privatim publiceque obiit, nihil omnino sibi indulgens, ut prodesset omnibus. Quantum vero honoris & gloriae apud exterios, profunda eruditio sua, & probitate insigni cum experientia incredibili conjuncta fuerit consecuus, inter omnes constat. Θαυμασιότατος Thuanus tanti eum fecit, ut quendam historiarum suarum librum luci credere prius noluerit, quam censuræ illius subiiceret. Sethus Calvisius in opere suo chronologico multa habet, quæ à Prætorio didicisse se fatetur ingenuæ. Isaacus Casaubonus, Andreas Dudithius, Marcus Wellerus, Henningus Arniseus, (qui viri!) plurimi eundem estimarunt, & consilium illius in maximi momenti rebus non semel petierunt. Noverant enim multa quotidie nova eum invenisse, multa veterum errata deprehendisse, correxisse multa aptius & commodius monstrasse, aliisq; post tradenda tradidisse. Non dicam in præsentia de Instrumentis ipsius Mathematicis, quæ Norimberga in publicam bibliothecam sunt translata: prætermittam sui prætii MSCia, quæ hic in

in Academia nostræ Bibliotheca asservantur; Mensulam tamen ejus Geometricam non silebo, quem quatuor libris fuse descripsit B. noster Schwenterus in Tractatu Geometriæ sua Præticæ; cum quibus omnino jungi merentur, qvæ Georg. Andr. Boëclerus in nova Geometriæ illius editione, Mensulæ illi Prætorianæ superaddidit. Tandem vero lumen illud Matheœos splendidissimum, quod per quadraginta ferme annos non academiam tantum nostram, sed & exteris oras splendoris sui magnitudine complevit. A. 1616. occidit; nunc vero inter atra collocatum fulgebit in perpetuas æternitates. Hæc de Johanne Prætorio Omeiſius: qvem interea tamdiu Marchiæ assertum tenebo, usque dum me aliquis edocuerit Bohemiæ illum reddendum esse.

Ex Medicis unum nominasse hic mihi sufficiet, eumque GEORGII NOESLERUM; de qvo Patria mea eo vehementius sibi gratulari potest, qvo majoribus eum extollere laudibus Exc. M. D. Omeiſius in Gloria Academ. Altdorfina p. 74. dignum judicavit, iisqve qvæ seqvuntur: *Celebranda nunc venit memoria Georgii Næsleri, phil. ac med. D. earumque in Universitate hac XXXII. annorum P. P. Serenissimi principis palatini & Reipubl. Norimb. Archiatri, facultatis sue quondam Senioris meretissimi. Vitalem hunc aërem is baurire cœpit Berolini, decima die Mensis Maii, anno superioris seculi nonagesimo primo. Patre usus est omni virtutum & Doctrinæ Gloria Celebratissimo, maximeque Reverendo, Dn. Martino Næslero, Serenissimorum quondam principum Joh. Georgii & Joh. Friderici Eleitorum Brandenburgensium, glorioſissimæ memoria, Concionatore Aulico Eloquentissimo, Consiliario Ecclesiastico prudentissimo, nec non capituli coloniensis Decano gravissimo. Susceptorem habuit*

habuit ipsum Joh. Georgium, Electorem potentissimum.  
 pueritiae annos atque adolescentiae quam præclare impende-  
 rit, etas firmior ostendit, quæ tentis non eluxisset virtutibus  
 si prima illa rudimenta in otio luxuque deposita fuissent.  
 Nempe in tenera ista etatula usque ad annum quartum &  
 decimum educatus est in schola patriæ, ubi probe hauritis ca-  
 pitibus pietatis & fundamentis Religionis Christianæ, eo us-  
 que in studiis, quæ humaniora vocant, progressus est, ut  
 sepiuscule habitis oratiunculis & Domini parentis & prece-  
 ptorum exspectationi satisfecerit. Hinc Hallam Saxonum  
 missus est, ut in schola istius loci quam dexteritas Rectoris  
 M. JO. Eßchardi, egregii ingeniorum artificis, valde cele-  
 brem reddiderat, bonis literis imbuetur: qui laudatus  
 Rector tanto eum amore est prosecutus, ut plurimis illum  
 precipue dignitatis hominibus commendaverit; e quibus  
 Næslerus noster ad seram etatem præ aliis laudare solebat  
 Dn. Casparem Goldsteinum, Consiliarium Magdeburgensem,  
 Dn. Matthæum Köppenium, ibidem causarum patronum  
 &, Dn. Kilianum Stisserum Cancellarium, quem sem-  
 per instar parentis veneratus, ejusque postea, data quavis  
 occasione, paternum affectum & fidem expertus est. Biennio  
 laudabiliter Hallæ consumto, quod truculentissimum pestilen-  
 tiæ malum ibi gliscere cœperat, domum repetere coactus est;  
 ubi tamen non diu subsistit, sed postquam Dn. parenti vita  
 hastenus actæ studiorumque rationem reddidisset, ab eodem  
 Francofurtum ad Oderam, omni semper laudatarum artium  
 gloria florentem Academiam, alegatus est. Clarebat tum  
 ibidem vir celeberrimus, Henningus Arnisæus, sub cuius  
 praesidio profectum suorum & excellentis ingenii præclarum  
 specimen edidit, dissertatione de Imperfecte mixtis, quam  
 cum applausu totius auditorii defendit. Vix ibi tertium  
 attigerat annum, cum necessitatis ultima lex patrem ipsi adi-  
 meret;

meret; cuius quidem jacturam mæstissimo, æquo tamen tulit animo, seque studia sua eò ardentius Divino Numini commendavit, cuius etiam immensa gratia optatum ad finem perduxit. Anno 1610. Wittebergam se contulit studio audiendi incomparabiles Viros D. Sennertum Medicum, & Jac. Martini philosophum, cuius posterioris mensa per sesquiannum usus cum adversa valetudine decertare cœpit. Salubriorem ergo locum querens, Francofurtum remeavit, ibique valetudini operam dedit, quo etiam mater ipsius, ut contagii periculum, quod Coloniae ad sprevam sœviebat, effugeret, se receperat. Commode incidebat in notitiam illustris Dn. Adami Gans L.B. in Putlitz, qui legatus principis sui ad Conventum Electoralem Norimbergæ celebrandum, nostrum itineris comitem habere voluit: qui & hoc in comitatu Norimbergam profectus est, inde hocc ad Lyceum excurrit, ut in amicitiam Clarissimorum eo tempore professorum, Gentilis, Dinneri, Soneri, Hoffmanni, Prætorii, Quecii, Piccarti, Virdungi sese penetraret. Finito Collegiali hoc Electorum contentu, obitu matris, utroque parente fuit orbatus, quo insolente Fortune impetu concussus adeo in studiis suis non remisit, ut potius ad ea majore cum industria continuanda Academiam Julianam elegerit, præsertim cū Arnisæum, à quo prima Medicæ artis cognitione tinctus erat, eo vocatum fuisse intelligeret. Eminebant ibi tunc temporis Jo. Caselius & Cornelius Martini, quorum diligenti institutione tam clara edidit specimena ut promeriti honores sponte ipsi a Dnn. professoribus deferrentur, à quibus tamen capessendis & atas adhuc immaturior, & flagrans peregrinas lustrandi oras ardor eum retrahebant. Quare superato gravissimo, quo Helmstädtii vehementer affligebatur, morbo, iter in Italiam, terrarum pulcherrimam suscepit; cuius incola per integrum triennium permanst, atque interea incredibili curiositate celeberrimas perlustravit urbes, Venetas,

D

Vicen-

Vicentiam, Veronam, Ferraram, Maniuam, Bononiā, hinc Florentiam, vere bellam ipsissimē Italīs dictām, illum nimirum Hetruriæ oculum, ac diadema majeſtate rerum ſatis conſpicuum: Florentiā Senas Hetruriæ urbem pariter contam ac celebrem, divertit, ac poſtem Romam cujus urbis urbiū omnium quondam Reginae ac imperatricis miracula & venerandas antiquitates haud defatigata perquisivit in- duftria; maximam tamen temporis partem ſtuviſ, quorum ſerio flagrabit amore, Paduæ tribuit, inprimis etiam Italicae & Hispanicae linguarum cognitionem exætissimam ſibi acquiſivit. Quæ quidem res illum Nationi Germanicæ & Artiſtarum, uti vocant, Universitati eum in modum com- mendavit, ut in Consiliarium dicte modo nationis electus, & pluribus ab eadem vicibus ad Illuſtrissimum Venetorum Sena- tum, diversis in negotiis, miſſus fuerit: prout egregia te- ſtimonia à laudata Natione ipſi confeſſa prolixe id demon- strant, in quibus ideo præcipue multis extollitur laudibus, quod Controversum illud negotium de admittendis ad hono- res Doctorales etiam illis, quibus Religio eſſet jurare in Bullam pontificis induſtria atque dexteritate singulari ad fi- nem optatum A. 1616 perduxit: quibus omnibus felici er- peractis in præmium exaltatorum laborum ſplendido Do-CTORIS Medici titulo in eadem illuſtri Paduana condecoratus eſt A.C. 1617. Clarebant tempore illo Paduæ Thomas Mi- nadous, Hieronymus Fabricius ab Aquapendente, Proſper Alpinus, Julius Casserius, Placentinus, Adrianus Spigelius, Rydericus Fonſeca, Benedictus Sylvaticus, Jo. Prævotius, Cesar Cremoninus; quos omnes ita ſibi devinxit, ut non ſolum Commerciū literarum cum eo iuſtituerint, ſed fre- quentissime etiam tam publice quam privatim erga studioſos Nationis noſtræ honorificam ejus fecerint mentionem. Jacobus Philippus Thomassinus, Epifcopus Emoniensis, in Elo-

Elogiis virorum illustrium scribit, modo laudatum Præventum cum Næslero, Baubino, Arniso, Sennerto, ast quanta hæc nomina! sinceram coluisse amicitiam. Redimus in viam cætera, ut capimus, benevolentia & attentionis vestræ porro nobis adspirante Favonio, oratione explicaturi. Næslerus cum circa pascha Anni 1617. ex italia redux Norimbergam accessisset, nundinas lipsienses instantes expectare decernebat; ut igitur hoc etiam temporis bene collocaret, Altdorfium veniens convictu & conversatione Casp. Hoffmanni usus est. Vacabat ea tempestate, mortuo paullo ante Sonnero, professio Medica & philosophica, quam nulli alii majore cum Academæ fructu obtingere posse, quam Næslero nostro, ob insignem ejus eruditionem Hoffmannus censebat; quam svam sententiam quoque cum Queccio & Piccaro, philosophis, communicavit. Næslerus interim nativo recipitur solo, & mox serenissimo Electori commendatus, ab eodem dextrâ clementissime exceptus, & torque aureo donatus fuit. Post haec patriæ iterum vale dicens, Hallam Saxonum indeque Magdeburgum concesit, ubi conditio non contempnenda apud Cathedrales Magdeburgenses ei offerebatur, sed acceptis à D. Remo & Hoffmanno, quibus id à Magistratu Norico in mandatis datum erat, literis vocatoriis agnitaque Divina vocazione hoc vitæ genus elegit, atque Anno 1618. utramq; professionem, & Medicam & Philosophicam, Numine favente aggresus est; quo in munere ita stetit, ut omnes labores Academicos cum quadam voluptate & animi alacritate, subiret, atque studiosorum auditorum commoda, qua poterat intentione, maxime promoveret. Neque hi sufficiebant honores sed indies cumulabantur. Nobilissimus enim Senatus Noricus in Collegium suum, quod bodienum ibidem floret, Medicum eum recepit: eodemque fere tempore Jo. Fridericus Princeps palatinus serenissimus

mus, eum Archiatrum suum constituit. Salus & dignitas  
 Academie hujus summæ ipsi curæ cordique semper fuit; est-  
 que hoc imprimis memoratu dignum, quod tempore primi ejus  
 Rectoratus, anno 1623. privilegia Doctoralia universitati  
 huic fuerint concesa. Insignem ejus tum eruditionem tum  
 industriam satis superque probant quam plurimæ ipsius dispu-  
 tationes Medicæ & philosophicæ aliaque merita hanc in uni-  
 versitatem & Rempublicam literariam longe maxima. An-  
 tequam ad alia nostra progrediatur oratio, non ab re erit si-  
 niſtræ casum fortunæ memorare, quo Næslerus pene oppres-  
 sus fuisset. Vita humana haud absurde cum opere musicō  
 confertur, ubi notæ, quas vocant, plures atræ quam albæ,  
 adversa puto plura quam secunda, apparent: Conspicuum i-  
 bidem est, dum ascenditur descenditurque, gradus sè penume-  
 ro aliquos transiliri, cantum non mollem ubique, sed durum  
 etiam atque afferum esse, nec in superioribus semper lineis  
 vocem subsistere, sed ad imas sèpius sese demittere oportere;  
 ita cum rebus humanis comparatum esse, ex narratione se-  
 quente sole meridiano clarius elucescat, quam paucis & quæ  
 ad illam maxime pertinent, exposituri sumus. Anno 1623. quo  
 universa Germania atrocissima feralis belli tempestate per-  
 celebatur, Næslerus in via publica Noriberga altdorfium  
 tendens, ab Illyricis Cæsareani exercitus equitibus una cum  
 aliis, captus, primumque Neagoram abductus fuit, ubi  
 barbari ante diversorum, dispositis ordine aliquot truncatis  
 capitibus, novum captivis horrorem ac metum incusserunt,  
 ejusdem fortè experiundæ immanitatis. Inde ductus Am-  
 bergam versus, non semel currentes barbaros pone se nudis  
 actinacibus sibi minitantes audivit capitis vel uno ictu ampu-  
 tationem, ac minis hisce maximoque animi angore per duos  
 integros dies excarnificatus est, quibus præterlapsis ex pe-  
 riculo hoc præsentissimo, ubi vix quatuor aut septem digitis  
     à mor-

à morte remotus erat, singulari DEI munere & beneficio e-reptus est. Ambergā Bathianus equitum, quos dixi tribunus eum persuas misit ad Electorem, cui etiam amputata illa capita offerri cupiebat, nisi fator intolerabilis prohibuis-set. Serenissimus Elector ut Næslerum vedit, Comiti Altringio commendavit, qui eum humanissime tractans bono animo esse juscit & securum de lytro, quod, ingens & insolens barbarus ille Bathianus exegerat, ex quo tempore in liberalissima captivitate sine omni custodia & obligatione fuit, nisi quod in castris Cæsareanis & Bavanicis medicinam facere debuit. Quæ quidem adeo ipsi non damno fuit, ut potius prosperitatem inde senserit quam maximum: cum enim utroque in exercitu sua industria & experientia varios plurimorum Ducum, Tribunorum, aliorumque militum morbos profligasset, plurima inde quoque magna que munera à militum ducitoribus est consecutus, & à Duce Wallensteinio torque aureo ingentis pretii donatus fuit, in quem, uti erat pœta terissimus, ita lufit:

Captivitatis præmium & decus meæ,  
Fridlandio quod debo, at quanto Duci,  
Fortuna abusus esset ille ni sud!  
Abusa Fortuna an fuit Fridlandio?

Post memorabilem illam pugnam Lützensem idem Dux affinem suum, Comitem ab Harrach & alios Nobiles agrotos ei commendavit, paucis vero interjectis horis exercitu Saxonico approporante, cum imperasset, ocyus Zwickaviam moverent, ibi in trepidatione rerum suarum fatigentes, captiviq; sui immemores, Næslerum post se Lipsiæ reliquerunt; qui quampnimum potuit Torgaviam se recepit, expeditans occasionem cum mercatoribus Norimbergensibus, finitis nundinis lipsiensibus, ad suos revertendi. Ac feliciter etiam rediit, cum ex quinqumestri hac captivitate, ultra

quingentos florenos aureos secum attulisset. Sed jam de morte ipsius paucis, quæ adhuc dicenda videbuntur, perte-xemus. Plerumque nuncios suos ac veluti feciales mors præmittit, morbos puta multiplices, ne clanculum illam semper atque ex insidiis pugnare, aut per cuniculos irrumperet, jure queri possimus. Ita Næslerus noster ex doloribus podagrīs, qui morbus ipsi hereditarius fuit, sæpe decubuit, quibus malum hypoehondriacum cum calculo insuper etiam vertigo seu scotomia, cum animi deliquis, se se associarunt, ex quibus tamen morbis aliquoties iterum convalescere. Cum vero tandem, diarrhoea bis impetus suos moliente, viribus dejectus esset, atque podagra simul eum affligeret, lassitudo tanta, cui cœpacia se comitem præbuit, corpus ejus occupavit, ut omni vitalitate amissa, vitæ hujus & misericordiarum satur, è fluxa rerum mortalium conditione evocatus fuerit die 9. mensis Julii, anni MDCL. Mortuum laudavit Nicolaus Rittershusius. Epitaphium ejus tale heic loci invenimus:

Georgius Næslerus Berolin. March.

Cum charitatibus suis. H. S. E.

Natus D. X. Maj cI<sup>o</sup> I<sup>o</sup> XCI. Denatus altorsii

D. IX. Jul. cI<sup>o</sup> I<sup>o</sup> L.

Vitæ sanctimoniam, Eruditionis Copiam,

Insignia Merita,

Quibus artem Med. Et Philosoph. per annos XXXII.

Summe sibi devinxit vir optimus,

In Famæ Templo, quam Hoc cippo, legi maluit.

Hæc tenus Omeisius.

Aucto



Auctoritate clarissimi Hennin. Wittii in Diar.  
Biographico motus addo DANIELEM ERASMI,  
Marchicum, primum Scholæ Viadrinæ rectorem, deinde  
Medic. Doct. & Regis Sveciæ Gustavi Adolphi Archiatrum,  
† 1634. quem Defensionem fidei vere catholicæ contra P.  
Røstium, edidisse idem docet.

Qui etiam adjungit GEORGIUM LOTHUM,  
Werbenem Marchicum, Phil. Mag. primum Regiomonti  
Poëticæ & Græcæ linguae Prof. in Pædagogio, deinde  
Scholæ ibidem Palæopolitanæ Rectorem, tum Medi-  
cinæ Doctorem, Electoris Brandenburgici Archia-  
trum, ac denique in Academia Regiomontana Medi-  
cinæ Professorem, † 1635. d. 15. Nov. at. 56. scripsit:  
*Paraphrasin Psalterii, De methodo medendi Universali &c.*  
Incidunt ad horum memoriam mihi, quæ de Scriptis  
theologicis Medicorum legi in cl. THOMÆ CRE-  
NII Animadvers. P. III. §. 10. p. 226. s. ea vero cum  
hic liber non in omnium sit manibus, recreationis  
caussa, & quasi aliud agens repeto: *Contractior* scribit, mi-  
bi semper Theologicis operantium visus est Medicorum numerus  
atque angustior, quem in p. 31. Iconis Theologorum Presbyte-  
rianorum bis verbis init doctissimus Paullus Colomesius Ru-  
pellensis: *Præter Eraustum doctorem Medicum, sed in Theo-  
logicis, quod in illo ordine rarius, haud leviter versatum, e  
Protestantium numero tres tantum Medici nobis occurrant,*  
scriptis Theologicis insignes; Joachimus von Watt, vulgo  
Vadianus, Medicus Helvetius; Jonas Porreas Medicus Ro-  
thomagensis, & Ludovicus Molinaeus Londinensis, Presbyter-  
ianarum partium nuper tibicen. Et pag. 229. Miror An-  
glo non venisse in mentem Johann. Stearne Medicinæ Doct. &  
Professor. in Universit. Dublinensi, is enim Dublini in 4to in  
lucem dedit anno MDC LVIII. *Animi Medelam, seu de Bea-  
titudine & Misericordia Tractatum, magnō Joh. Leslai Episcopi*  
Rapo-

Rapothensis & Griffithi Williami Episcopi Ossoriensis & Ecclesiae Cathedralis de Bangor Decani praemonio nobilitatum; sicuti & de Electione & Reprobatione Dissertationem, cum Manuductione ad vitam probam, ibidem cum ejusdem Job. Lesslai tum Episcopi Clogherensis laude ac adprobatione impressam anno MDC LXIV. in 4to. Tractavit idem Stearne per Aphorismos argumentum de felicitate multa cum eruditione rationeque elegantissima, Dublini editos in 8t. MDC LXVI. Quandoquidem vero Colomesius ex Helvetia Vadianum scit, qui sit quod ignoret Othonem Brunfelsium Medicum Bernensem? cuius Catechesis puerorum, Adnotaciones in quatuor Evangelia, & Acta Apostolorum, Pandectæ Veteris & Novi Instrumenti secundum Locos communes, Parænesis de Disciplina & puerorum institutione, Confutatio Sophistices & Quæstionum Curiosarum, e veteribus Theologis; & Propositiones de ratione Decimarum sunt in omnium manibus. Jodocus Willichius D. & Professor Medicus Francofurtanus ad Oderam scriptis superiore seculô Expositionem totius Catecheseos Christianæ in 8t. Francoforti ad Viadrum anno MD LI. Commentarios in Haggæum & Jonam Prophetas, item in utramque ad Timotheum, ceterasque alias nonnullas Pauli B. Epistolas. Jacobi Schegkij Doctoris & Professoris Medicinæ Tubingensis scripta Theologica recenset Melchior Adami in Vitis Germanor. Medicorum, p. m. 309. s. Sicuti & Jacobi Zvingeri Medici Basileensis in p. 417. Celeberrimi Medici Andreæ Libavii Theologica scripta virum, non spernendæ letionis Colomesium potuisse fugere vix mihi imaginari quo. Delphi Phœnicizantes Etmundum Dickinsonum; & Jacobum Windet utrumque Medicum Tractatus de Vita funditorum, statu, Philologos ostendunt. Cl. noster Jo. Conr. Dietericus licet Antiquitatis Historiarum & Græcæ Linguæ Professor in Academia Hasso-Giessena fuerit celeberrimus & Philologus doctissimus, tantus tamen habitus est Medicus, ut cum paucis

*cis potuerit comparari.* De Caspar. Peucero res satis nota est; quare tacemus.

Illiis ipsis Wittii l.c. ductu nomino inter Theologos CASPAR. à LILIEN, Georgii Lilii Præpositi quondam Berolinensis filium, *Berolinensem Marchicu*m. Theol. D. Comitem Palatinum Cæsareum, Consiliarium Brand. intimum, Ecclesiarum in Burggraviatu Norib. Superint. Generalem, Concionatorem aulicū, Consistorii Baruthini præsidem, nec non Collegii Christiano-Ernestini Directorem. † 1687. æt. 55. variisque celebrem scriptis, quæ apud Wittenium legi possunt. Hunc vel eo nomine miror, qvod, quantum quidem scio, nullus inveniatur Marchicus alius, qui nobilitate gaudens & Comes Palatinus Cæsareus fuerit & S. Theologiæ Doctor. De aliis interim Theologis nobilibus & inter hos de HOE ab HOENECK, Theologo gloria & fama immortali, omnibus constat; cuius hinc etiam nominis caussa proferam epistolam quamdam MSCtam, quam in scriniis custodivi haec tenus. Accipe illam & lege his exaratam ad Christophorum Pelargum verbis:

S. in Dno.

Reverende & excellentissime D. D. Fautor, Amice & in Christo Frater plurimum honorande.

Quam à multis annis scribendi ad te & amicitiam contrahendi occasionem seritis votis exoptavi, ea nunc tandem singulari Dei nutu & providentia affulget, ubi, ut pro Ecclesia nostra apud T. R. D. intercedam, diligenter compellor. Et profecto ingentes Deo gratias ago, non dubitans, quin ex hoc initio familiaritatis sincera theologica inter nos ortura, & incrementa indies majora captura sit. Ego qui ob excellentissimam eruditionem & experientiam maximam, nec non nominis celebritatem sumnam, dudum T. R. E. intime colui & veneratus sum, T. R. E. omnia humanitatis & familiaritatis officia defe-

ro paratisima, amanter orans, ut in numerum sincere tibi affectorum me recipias, & clasii amicorum haud gravatim adscribas. Ceterum, quid Ecclesia nostra tum ab Academia tum ab urbe vestra incluta petit, ex legatis & literis T. R. D. luculenter percipiet: Ac quia T. R. Dnis auctoritate mirum in modum Ecclesiam nostram juvari posse certo scio: proinde vehementer peto, ut & apud inclutam Academiam & Remp. amplissimam Nationis Germanica causam agas fidelissime. Deus Ter Opt. Max. quicquid ad propagationem Christi sui erogabitur, vel laboris & molestia suscipietur, recompensabit benignissime. Hac enim spe incitatas & aliquot Academias & urbes credo, qvod munificentia sua opus tam sanctum & religiosum pro viribus promoverint. Hac festinantisimo calamo. Bene vale & diu vive Vir clariss. Deo, Ecclesia tuaeque Familiae. Dab. Pragae d. 4. Jul. styl. nov. Anno 1611.

T. R. Dis

ob servantiss.

MATTHIAS HOE ab HOENECKG,  
S. Theol. D. Sereniss. Electoris Saxo-  
nia Theologus & nunc Eccles. Evan-  
gel. Nationis Germanicae in veteri urbe  
regia Director.

P. S. Si placet clariss. Vir, lucubrationes tuas aliquas haud gravatim mihi transmette. magni enim semper eas feci: cum apices siveioris eruditionis a T.R.D. tractari sciām: misissim meas pagellas, sed indignas judico, qvæ tanto Theologo offerantur, cum Tyronibus saltem commendata esse & vix mereantur.

Idem D. HOE.

Ceterum conferamus Renschium in Brandenb. Ceder: Hein/p. 259; scribentem: Denn gewisse in dieses Haus hörige Dinge stückweis beschrieben worden / worunter vornehmlich bemühet gewesen/ Herr Caspar von Ellien auf Waizendorf zc. Hochfürstlicher Brandenburgischer Gez

Geheimer Rath / und des Consistorii Præsident zu Bar  
reuth welcher hauptsächlich das Ruhm - Gerichte der  
Durchleuchtigsten Brandenburgischen Familie zu er-  
höhen sich angelegen sein lassen. Ihm hat man zu-  
dancken / daß unterschiedliche grosse Prinzen dieses  
Hauses zu solcher Vortrefflichkeit gelanget / weiln er  
deren Wohlerziehung regiret: Am Schrifften hat er  
A. 1672. von derer Herren Marggraffen Gottselig-  
gen Glauben und Religions - Eifer; 1673. von  
Churfürst Friderich II. Glaubens - Bekandniß im-  
gleichen neulich den ruhmwürdigsten Lebens - Wan-  
del Herrn Marggraf Georgens/ beigenahmt des  
Krommen und Bekenners/ umständlich geschriben:  
Und daß durch die Professores des Christian - Ernestini-  
schen Collegii jährlich ein gewisses Stück zu Ehren  
dieser Lande und Regirung solle gefertiget werden/  
angegeben. Gestalten auch der Brandenburg. Ulysses  
Sigmunds von Birken; Dein dieses gegenwärtige  
Werke / seiner Direction, und würcklichen hohen Bei-  
trags viel zu danken. Durch dessen Sohn Christian  
Ernst von Lilien ist A. 78. eine zierliche Kunst - Rede  
von der Hochfütrefflichen Groß - Macht des Durch-  
leuchtigen Hauses Brandenburg in Lateinischer  
Sprach gehalten / und hernach verteutschet worden.  
Cl. Th. Crenius in P. XVI. Animadv. Hist. in fin.  
hæc monenda duxit: p. 49. v. extr. in ignobilis dele  
ig. Si enim vera sunt, quæ adhuc ignoravi, tradita Cl. Jo-  
ach. Heinr. Hagen in Vita Casp. à Lilien heri à me lecta,  
Gentem Liliorum antiquæ nobilitatis esse, liquido erravi,  
nihil moturus illam de hac. Hanc licet posthæc quæsi-  
verim vitam, invenire tamen non potui, nec fata  
nostræ Civis nobilis addere reverenter: nactus, alio  
tempore id faciam.

Porro, qvod plura de ANDREA KNOPFIO  
 in Dissert. IV. p. 22. narravi, noto hic Micrālī ex Hi-  
 stor. Eccles. p. m. 749. verba: *Andreas Cnophius, Cūstrī-  
 nensis, collega primum fuit Bugenhagii in ludo Treptoviensi:  
 post Rigenes in Livonia rexit. & Oden illam: HERC  
 Christ der einige Gōttes Sohn ic reliquit: Qvā  
 etiam Melch. Adamus de Vit. Theol. p. m. 16. reli-  
 quit, cui Autori etiam debere volui seqventia: Post  
 aliquot secula, circa annum Domini millesimum quingentesi-  
 mum vicesimum secundum, emendationem doctrinæ & rituum  
 Rigæ inchoavit Andreas Cnophius, Cūstrini, ad Viadri &  
 Wartæ confluentes natus. Primum Treptoæ, ad Regum flu-  
 sium, in pomerania orientali, cui ἀπὸ τῆς τρέΦειν, propter o-  
 mnium ad vitam sustentandam necessariarum rerum abun-  
 dantiam Joachimus Nissenus, Secretarius illius Reip. no-  
 men inditum autumat: Treptoæ igitur primum cum Joanne  
 Bugenhagio scholam literariam rexit quorum tantopere  
 in docendo industria, dexteritas, & fides celebrata fuerunt:  
 ut non solum ex viciniis oppidis; sed livonia quoque & west-  
 phalia exciti scholasticī eo confluenter. Eo in oppido cum  
 pontificii errores in doctrina & abusus rituum publice deter-  
 gerentur: turbulentius quippiam, non doctorum, dextra  
 veram doctrinam tradentium, sed vulgi sinistra accipienti-  
 um culpa in St. Antonii sacrificulos & idola gestum est. qua-  
 res ad Episcopum delata vehementer eum irritavit, feci-  
 que ut in Sacerdotes, in cives & scholasticos acriter animad-  
 verterit. Itaque aliis alio diffugientibus, Andreas Cnophi-  
 us cum Joachimo Möllerō, abductis scholasticis livoniis,  
 Rigam ad fratrem Jacobum canonicum, profectus est. Eo se-  
 mulac venit, ad Ministerium illius Ecclesiae in aede D. Petri va-  
 catur: ubi exemplo pastoris Treptoviensis, in cuius convictu fu-  
 erat, acriter in Idolomaniam & mores pontificiorum invectus,  
 doctri-*

doctrinam de *Justitia fidei*, & gratuita peccatorum remissione, propter Christum pro nobis passum & resuscitatum, cuius credenti donanda, præcipue urbit: ritus tamen quosdam aliquantisper toleravit. Sequenti anno accessit collega turbulentus Sylvester Tegetmeierus: qui Rostochio, ubi ecclesie Jacobæ minister fuerat, nuper profugerat: & adeundæ hereditatis fraternalæ causa Rigam prefectus, exente anno Millestmo, quingentesimo, vicefimo secundo, in æde D. Jacobi docere cepit: & majori impetu Pontificiorum superstitiones & Idola palam coarguit ac detexit: adeo ut vulgo abominationi esse ceperint: & paulo post statuas omnes ex templis ejicerent, & lapides sepulcris impositos removerent: ut solent in primis mutationis articulis multa inconsideratus & turbulentius geri. Quare Lutherus ad Rigenses scribens monet eos, pietatem Christianam sitam esse in fide vera, in caritate erga proximum sincera, in spe salutis certa, quæcunque afflictiones fidei confessionem comitantur: non in humanorum & externorum rituum abolitione; quæ citra impietatem & scandalum relinqui possint. Biennio postidem Lutherus alteram Rigensibus ministeriis, de ritibus liturgie inter se disceptantibus, epistolam misit: in qua de externorum rituum libertate, & vero usu ceremoniarum docet. Sed quæ post varios motus de religione, apud Rigenses consecuta sunt, verbose David chytraeus in Saxoniam sua narrat: nos ad Cnophium redimus. Hic igitur, uti dictum, fuit ελαξ & emendationis doctrinae & rituum Riga livoniam metropoli: nec solum verbi præco, sed etiam vates fuvatis: qui carmina sacra & odas spiritu & vita plenas, sententiis & rhytmis vetustas gravesque, adjunctis numeris Musicis in animos audientium penetrantibus compositi, de quorum numero sunt psalmi Davidis aliquot, Germanico carmine reddit: & oda illa

Herr



**H**err Christ der einig Gottes Sohn: Item: Hilff uns in deinen Nahmen rc. *D. Chytræus lib. 10. Saxonie.*

Est in Bibliothecula mea in volumine Dispp. quodam cum aliud quærerem scriptum, inventa: *Disquisitio de Magia Divinatrice & operatrice. auctore FRANCISCO MONCÆJO Fr. devalliano Atrebatio. Francof. & Lips. 4. 1683.* hunc tractatum ab initio vel ob nomen autoris suspexi, existimans celebris & satis noti scriptoris de vitulo aureo Aaronis esse fœtum, & cum hunc libellum inter libros Moncæji me invenire re-censitum non meminisse, evolvi Königii Bibliothecam, utrum is haberet cogniturus. Sed frustra, Quamobrem dictum libellum ipsum evolvi, & statim palpavi veri Fr. Moncæji laborem neutiquam esse: Tandemque p. 22. legi hæc: tamen vix sibi satisfaciet attendendo lippicam Horizontem, & conferendo cum Norimbergensi plaga, & adhuc borealiori Marchia, Patria mea, locoque omnium dætorum fulginosiori: squide & ibi ideo diutius emanere oporteret pelargum, & redditum suum procrastinare vel ab adulta in partem præcipitem Martii qui tamen ex Nationalis M. JOH. COLERI, Sacerdotis Berolinensis, relatione annexitur &c. & porro p. 64. Obiter hic ob similitudinem materiae, subiecto epistolium quoddam ab Ann. 1678. sept. datum ad meam tenuitatem à Bonamico veterano, M. ANDR. SELLIO, francof. Marchico Pastore & Elector. Inspectore in ducatu Crosnenſi. ita ex parte sonans: Ne queſo, mireris banc tanto temporis intervallo incognitam manum, sed amicam adhuc temporis plenam, quoties recordor olim fuisse in hospitio Hallensi apud Dn. Schilteri viduam & privignos, quos habuit erudiendos successorem, recordabitur etiam Vir CL. ita esē, & me in notitia fuisse, & adhuc esse, quoties memoriam revocaverit scholasticam. Et ut aliam vir cl. innovem memoriam in Conspectum prodeo, anjam accipiens ex libro ipsius Tit. Anthropodus plutonicus, quem forte fortuna apud amicum reperi, & avide eum, Dn. Autoris cogniti ergo perlegendum subcesvis horis in Museum recepi, & annotavi de pentalpha. p. 7. illud male audire ab ipso, ut plane ethnicum: Cum in in Clypeo Davidis illud fuerit insigne, cum nomine Jehova dispersis literis & ly Agla insignitum, ut mihi inde ante lectionem Anthro

Anthropodem; multum sanctitatis & antiquitatis ēmese persuaderem;  
 fieri potuit, ut ex κανογήλια Etnica hoc ad Druidas relapsum & in  
 abusum tractum fuerit, quarē & inde nomen habet Trotten Fuß qua-  
 si Druiden Fuß / videoque v. cl. ad Schicardum p. 8. dīgitum inten-  
 dere in Haperuschim. Reperi etiam in Dorsehei singl. Angelico multa de  
 Empusa & aliis his μερμοληθέοις apte, & prout vir fuit eum erudi-  
 te differentem. it. p. 114. Reliquas duas raritates, quas exhibuit ancilla  
 subterranea Nobilissima de Ranzau, nec vr. cl. innotuerunt, addo,  
 fuerunt nummas argenteus & halec, habuit enim illa de Ranzau tres  
 familiae instauratores duos filios & unam filiam: filius nummus & halec,  
 filia fusum illud in patrimonium hereditarium ccsit: hoc mihi contuber-  
 nalis meus de Fzehova retulit, qui inter ministros Dn. de Ranzau mensa  
 astitit, & vidit nummum hunc producere à Comite, ut hospites eum vide-  
 rent omnes. Hucusque tantum in lectione processi, nec reticere hac volui, us  
 in futuram libri hujus adornationem inservire posint: quod & si Vra Cl.  
 antiquum adhuc obtinet, benebole accipiet, & bene Consulet! De gos-  
 sypio Marchico nuper à Massonii filio D. Beccmanno Theologo, & profess.  
 ex herbis lanigeris. e.g. Senecione, Carduus & aliis Confecto, dudum Vr.  
 Cl. Constatte astimo ob locorum vicinitatem: sin minus, mutam ipsi par-  
 ticularam de ipso gosyphio. Hac sunt, quae scribere inveni, & ut antiquam  
 illam mihi benevolentiam domesticam sacerem allaboravi. vale & save.  
 Resp. vir plur - reverende, Fautor dilectissime, ut inopinum nuntium de  
 incorrupto vinculo pristini mutui amoris nostri in literis exosculatus sum:  
 Ita per temporis rationem, in nundinis parce habendam, vacavit, haec pauca  
 reddere: Nem. pentalpha illud merito superstitionis videri, seu nomen respi-  
 cio à Græcis obtentum: seu usum pretensum quamvis Salomonicum: sapit  
 hic enim mihi utique necio quid Idololatrici, ut plura per traditionem acce-  
 pta, velut Clavis, annulus &c. & alia magica instrumenta, seu Rabbinæ  
 Schemshamphoraschiei, seu signature supervacue, si non plane chaldaice  
 symboli: quo sane supersedere Christianum posse debere apud deum nomen  
 claris literis expressum judico, & si quid veri meus angusat, opto. Ce-  
 terum pleniorem relationem de Ranzau cum gratiarum actione suscipio.  
 Et revelationem inauditā de gosyphio patris admiror valde, ut batanophili-  
 lis, qui sepe incidi in tales cogitationes: anne ex gramine tomentoso, lani-  
 gero plumatilive, quod domi per prata luxuriare intuitus sum, & vel culca-  
 tris

tris aliquando destinavi sarcicendis, papyrus vel aliud quid possit pra-  
creari?

*Marchia quam felix es patria: Commoda mater*

*Namque poëtarum non modo rite cluis:*

*Sed quoque Gossypii inventrix mirabilis audis*


*Pra Cretā: in pratis utpote fila legis.*

Quibus lectis librum de manibus deposui, sollicitus  
quamvis adhuc de vero nomine Auctoris.

**ALBERTUS FRIDERICUS MELLEMANNUS**

Berolinensis natus est anno 1568. Carmina ejus Tomo 4. Delit.  
Germ. pag. 493. illata sunt. vid. J. P. Lotichius part. 4. B. P. pag.  
133. scribit Königius in B. V. & N. f. 528. & Dn. de Seidel  
in libro, nunquam satis citando, citatoque haec tenus: *Alber-*  
*tus Fridericus Mellemann, Berolinensis Marchita, Simonis Jēti filius,*  
*eruditio[n]is recondit[us] specimen, & yates mellifluus.* Natus Ao. 1558.  
floruit Ao. 1593. Ol. vero Borrichius in de Poët. p. 133.  
*Alb. Frid. Mellemannus in Elegis suis composto gradu incedit.*

**GEORGIUS MELLEMANNUS**, inquit Magnif. Bec-  
man. l. c. f. 71. Collega primum Gymnasiū Joachimici, Magister  
renunciatus una cum Frid. Reichelio Anno 1639. decano Tob. Ma-  
giro, Professor græca lingua factus, Ao. 1641. Vita functus in Re-  
ctoratu Ao. 1661. Marchicum vero fuisse Soltquel-  
lensem, cognovi ex carmine quodam, quo Jcti magni  
Friderici de Jena dolorem ob mortem filii consolatus est  
Anno 1659.







Nr 593.

s g

ULB Halle  
008 864 446

3



NE





GEORGII PETRII  
Schulzen /  
D. & Prof. Philos. Extr.  
*DISSERTATIO HISTORICA*  
DE  
CLARIS MAR.  
CH



FRANCOF.

